

*Carlo l'Illustre conferma la vendita tra
Bartolomeo de Busca e Guglielmo Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Carlo l'Illustre conferma la vendita tra
Bartolomeo de Busca e Guglielmo Ruffo*

1322-07-22

Carolus Illustris Hierusalem, et Sicilie Regis Roberti primogenitus Dux Calabrie, ac eius Vicarius Generalis. Universis presentes Literas inspecturis tam presentibus quam futuris. Subiectorum nostrorum compendiis ex affectu benigne Charitatis accedimus, quo fit ut ipsorum petitionibus gratiosis assensum facilem benigne prebeamus.

Sane Guglielmus de Sinopulo Cambellanus, familiaris et fidelis, Paternus et noster, sua nobis expositione monstravit, quod Bartholomeus de Busca tenens, et possidens immediate, et in capite a Regia Curia de novo feudo in Iusticiariatu Calabrie medietatem pro indiviso terre qua Regia Curia dudum habuit in Veteri Brutiano, Guglielmo de Busca Patruo dicti Bartholomei medietatem reliquam eiusdem terre, pro indiviso similiter possidente, huiusmodi medietatem suam eiusdem terre cum hominibus, vassallis, tenimentis, territoriis, redditibus, iuribus, et pertinentiis omnibus medietatis ipsius vendidit, alienavit, et tradidit eidem Guglielmo de Sinopulo ementi pro se, et eius heredibus in perpetuum, pro Unciis centumviginti quinque, prout contineri dicitur in quodam scripto confecto exinde quod in prima sua figura publicam apparebat, cuius tenor per omnia talia est. Propter quod prefatus exponens excellentie nostre supplicavit humiliter ut huiusmodi venditioni, alienationi, et traditioni assensus et confirmationis nostre robur adiicere de gratia dignaremur. Nos autem Regionum fidelium apta compendia gratis affectibus, pro consideratione quoque servitiorum, et fidei supplicantis, et Progenitorum eius, suis in hac parte supplicationibus benignius exauditis, venditioni, alienationi, traditioni premissis quatenus

alias provide facta sunt, non obstante quod super rebus feudalibus processisse noscuntur, de certa nostra scientia Vicariatus auctoritate qua fungimur assentimus, illasque de speciali gratia tenore presentium confirmamus. Volentes autem ut pro assensum nostrum quem iis impendimus, dicta venditio, alienatio, et traditio ipsi Guglielmo emptori, ac eius heredibus perpetuo, sint reales. Declaramus insuper quod quinque per Registra Regalia que perquiri mandavimus diligenter compertum sit iam dictam terram fuisse concessam pro annuo valore unciarum auri centum sub servitio quinque militum prestando ipsi Regie Curie iuxta usum, et consuetudinem Regni huiusmodi, quia tamquam ex fide digna informatione Regie Curie plene constat quod dicta terra in frontieris hostium posita propter guerrarum discrimina in multo depauperata est, omnibus et solito incolarum numero diminuta, dictus Gugliemus emptor et heredes eius pro tota terra prefata de servitio duorum tantum militum, quousque terra ipsa reducatur ad statum pristinum servire ipsi Curie teneatur. Dicto feudali servitio fidelitate quoque Paterna et nostra Regie Curie iuribus, et cuiuslibet alterius semper salvis.

In cuius rei testimonium presentes Literas fieri, et pendente sigillo Vicarie quo utimur iussimus communiri. Datum Neapoli per manus Ioannis Grillis de Salerno Iuris Civilis Professoris, Locumtenentis Prothonotarii Regni Sicilie. Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, die vigesimo septimo Iulii, quinte inditionis Regnorum dicti Domini Patris nostri anno quarto decimo. Taffurus de Capua Notarius et familiaris Regis.